

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis VII. De sacrosancto missae sacrificio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

stigia genuum pavimento inpressa, cui fratres geniculati incumbabant.

B. Agatha à S. Cruce quotidie ducenties spiritualiter communicabat. Barry in Hag. intent. 34.

B. Joanna de S. Cruce affirmabat, eadem se gratias in Communionem spirituali expertam, quas in reali. Idem. die 10. med. 2. in solit.



CATECHESIS VII.

De Sacrosancto Missæ

sacrificio.

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quid est Missa?
2. Unde nôsti, in Missa consecrari & offerri verum Christi Corpus & Sanguinem?
3. Quando instituta est Missa?
4. Quo fine?
5. Quodnam est discrimen inter sacrificium, quo Christus offertur in Missa, & sacrificium, quo Offerebatur in Cruce?
6. Cui licet offerre sacrosanctum Missæ sacrificium?

MISCELLANEA.

Quid innuit nomen Missæ?

Quid est verum sacrificium?

Q

Quis

Quis primus legit Missam?

Annon licet Missam offerre sanctis?

An prohibitum sacrificare oves?

An æquè prohibitum offerre ceram, linum, &c.

Q. I.
Quid est
Missæ?

Est sacrificium, in
quo, &c.

Quæstio Prima: Quid est Missa?

R. Est sacrificium, in quo verum Corpus
& Sanguis Christi per Sacerdotem offertur Deo
Omnipotenti.

Vel. Est verum & unicum sacrificium novi
testamenti, in quo Corpus & Sanguis Christi
sub speciebus panis & vini à Sacerdote in Persona
Christi nomine totius Christianitatis offertur
Deo æterno in memoriam sacrificij cruenti in
Cruce peracti, & ad profitendam ipsius super
omnes creaturas dominationem, nostramque
subjectionem.

Quid est
nomen
Missæ?

Oblatio.

Missio
Hostiæ.

Nomen Missæ quidam deducunt ab
Hebræo Misach, id est, spontanea oblatio,
cùm ergo hic offeratur, de quo: Oblatus
est, quia ipse voluit. Is. 53. v. 3. non incon-
gruè Missa dicitur. Alij verbo latino,
Missio, quòd per hoc sacrificium Christus
à nobis mittatur ad Patrem, ceu munus
ineffabile & acceptissimum. Unde dicitur
in Canone: Jube hæc perferri per
manus S. Angeli tui, in sublimè altare
tuum, in conspectu Divinæ Majestatis
tuæ, &c. In fine quoque dicitur: ite Missa
est, id est, sacra Hostia missa est ad
Patrem: Rabanus putat idèò appellari
Missam, quòd per illam consequamur
remis-

remissionem peccatorum. Græcis dicitur **Remissio peccatorum.**
Liturgia, id est, actio publica. **Græcè Liturgia.**

Per Missam igitur intelligimus sacrificium, quo offertur Deo Corpus Christi, &c. repetendum enim memoriâ, Eucharistiam à Christo institutam esse, non ut Sacramentum tantum in refectionem animæ, verum etiam ut sacrificium ad perpetuū laudandum Deum. *Sup. cat. præced. q. 3. & Cat. Rom. p. 2. q. 55.*

Sed num verum & propriè dictum sacrificium censendum est? **An- est verum sacrificium?**

Omninò; adest enim Hostia, seu res oblata Corpus & Sanguis Christi: adest offerens, ipse videlicet Christus JESUS per ministerium Sacerdotum. *Trid. sess 13. c. 5.* adest is, cui offertur, Deus: adiunt, pro quibus offertur, vivi & defuncti: Pro quibus tibi offerimus, &c. **Maximè.**

Perficitur totum sacrificium consecratione, oblatione, & sumptione; oblatione, inquam, partim illâ accidentali, quâ panis & vinum offertur: Suscipe sancte Pater, &c. Partim essentiali, quæ fit ipsâ consecratione; dum enim consecratur Hostia, facit oblationem, & seipsum offert Christus principalis offerens; sacerdos quoque Minister, etsi non expressè, saltem impliciter cum Ecclesia. *Th. Sanct. Gall. q. 7. d. 3. ad. 2.*

Q. II.
Vnde no-
sti in Mis-
sa conle-
crari Cor-
pus &
Sanguini-
nem
Christi?
Primò ex
Univer-
salis Ec-
clesiæ
doctrina
& praxi.
Sæculo I.

Quæstio Secunda : Unde nôsti in Missa
consecrari & offerri Christi Corpus & Sanguinẽs
&c. Ex universalis Ecclesiæ, Patrũque do-
ctrina & praxi.

Prima igitur probatio hujus Veritatis est
testimonium Ecclesiæ & Patrum, quos
ab Apostolorum temporibus idipsum de
Missâ sensisse, docuisse, & practicasse
constat.

I. Sæculo, Missas habuere Apostoli, eo-
rũque Discipuli; ita testatur S. Proclus
Episc. Alex. lib. de tradit. Liturg. Divina.
Apostoli, priusquàm dispergebantur, con-
venientes, ad toto die orandum converte-
bantur, & cùm multam consolationem in
Mystico Dominici Corporis sacrificio po-
sitam invenissent, fusiſsimè & longissimè
Missam decantabant. Idem docet S. Cle-
mens lib. 6. recog. S. Matthæus in ipsa Mis-
sæ actione à Rege Æthiopum occisus fuit.
Brev. in Festo 21. Sept. Andreas ad Achaïæ
Proconsulem: Ego, ait, Omnipotenti
Deo quotidie Agnum immaculatum sa-
crifico, &c. Brev. in festo 30. Dec. Exstat &
Altare ligneum Romæ, in quo S. Petrus
Missam celebravit. Brev. in dedicat. Basil.
Salvat. 9. Nov. Exstat quòque Liturgia seu
forma Missam celebrandi à S. Jacobo
Minore usurpata, quam legitimam agno-
vit Synodus 6. Occumen. can. 32. Deni-
que

que S. Dionysius S. Pauli Discipulus expressè docet, in Missa offerri verum & reale Corpus Christi. *Cœl. Hier. c. 3.* Et S. Ignatius. *ep. ad Rom. & ep. ad Trall.*

2. *Sæculo.* Præter innumeros alios, sacrificârunt S. Irenæus Episc. Lugdun. *l. 4. c. 32.* S. Justinus Martyr. *apol. 2.*

3. *Sæculo.* S. Cyprianus Episc. & Martyr probant omnes ipsius libri. S. Athanasius in *quæst. ad Antioch.*

4. *Sæculo.* S. Martinus, quo sacrificante globus igneus, apparuit super caput ejus. *Sulpit. sever. in vita.*

5. *Sæculo.* S. Ambrosius Episc. Mediol. *l. de Sac.* S. Augustinus Episc. Hipp. *de Civit. Dei l. 10. c. 9. & serm. 11. de sanctis, & tom. 8. in Psal. 33.*

6. *Sæculo.* S. Gregorius Papa. in *libris dial.* S. Optatus Milevit. *lib. 2. contra Parm.* Quid tam sacrilegum quàm Dei altaria, in quibus aliquando & vos obtulistis, radere, frangere, remove, Et paulò post. Quid est altare, nisi Sedes Corporis & Sanguinis Christi? quid vos offenderat Christus?

7. *Sæculo.* S. Gallus, hic divinitus edoctus mortem S. Columbanus absentis, pro eo Missas cum lachrymis celebravit. *Walafridus in vita. & Brev. in prop. 16. Octob.* S. Hildephonsus Episc. Cantuar. cui B. Virgo Casulam dare dignata est. *In vita.*

8.

8. Dein & sequentibus sæculis, ubique terrarum Missas fuisse celebratas nemo hætenus in dubium vocavit.

Secundò
ex scri-
ptura.

Secunda probatio petitur ex ipsis scripturæ textibus. In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, *Malach. 1. v. 10.* Quod de Missæ sacrificio interpretatur S. Irenæus *l. 4. c. 32.* S. Aug. *ser. 8.* & alij. *Cat. Rom. q. 75.* Postquam Christus accepit panem, eumque in Corpus & Sanguinem suum convertisset, addidit: Hoc facite in meam commemorationem. Quid facerent? nisi ut ipsi quoque Corpus Christi in persona illius consecrarent & offerrent? Paulus quoque ait: Non potestis mensæ Domini esse participes, & mensæ Dæmoniorum. *1. Cor. 10. v. 21.* Sicut autem per mensam Dæmoniorum intellexit altare, in quo sacrificabatur Dæmonijs, ita per mensam Christi intelligebat altare, in quo sacrificabatur Corpus & Sanguis Domini. *Cat. Rom. cit.*

Rursus *Act. 13. v. 2.* dicitur: Ministrantibus illis Domino, græcè Liturguntōn, sacrificantibus, ut vertit Erasmus; Litungin enim est publicum ministerium exhibere, quod hîc erat sacrificium, non ministerium prædicationis vel Sacramentorum; quia additur, Ministranti-
bus

bus
men
fed
cium
voca

T
Æqu
med
quo
ctio
mus
res &
hono
possi
simu
subst
si co
sacri
abro
se u
entru
nem
tuam
quo
te su
dote
mur
ate
fede
omn

bus Domino; prædicatio autem & Sacramenta, directè & proximè non Domino, sed proximo ministrantur, sicut sacrificium; unde & Missam Græci Liturgiam vocant.

Tertia probatio desumitur ex ratione. Tertiū
Æquum est, ut omni tempore habeatur ^{ex ratio-}
medium, seu cultus aliquis externus, ne.
quo Dei excellentiam & nostram subjectionem profitemur, quo illam laudemus, honoremus, &c. atqui omnes gentes & maximè Judæi Deo suo supremum honorem & cultum per sacrificia exhiberi posse credebant; ergo rationi conformissimum est, Christum non sustulisse totam substantiam & rationem sacrificij, sed quasi commutasse; nempe veteris testamenti sacrificia vitulorum, arietum, boum abrogasse, & in illorum locum substituisse unicum sed ineffabile sacrificium crucis, cuius in cruce; deinde in perennem hujus memoriam & quasi perpetuam iterationem, sacrificium Missæ, in quo idem Christus seipsum, sed incruente sub specie panis & vini offert per Sacerdotes Omnipotenti Deo ad finem usque mundi; ideoque vocatur Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. *Heb. 7. v. 2. & modò cit. Malach. 1.* In omni loco sacrificatur, &c. Est quoque

hoc sacrificium, illud novum testamen-
tum, quod Christus Ecclesiae reliquit, in
quo praecipue consistit lex gratiae, lex
amoris, &c.

Pari modo dici potest, quod omni tem-
pore necessarium fuerit, habere & offerre
sacrificium pro remissione peccatorum, di-
spositivè saltem, ita ordinante Deo, ergo
& modo, &c.

Obiectio.

Dices: Virtute sacrificij Christi in Cruce
omnia peccata esse deleta. Unde *Heb. 9.*
v. 26. Paulus ait, Christum non amplius
offerre semetipsum, sed semel obtulisse ad
destructionem peccati.

R. Negando consequentiam; quia ve-
rum quidem est, quod virtute sacrificij
cruenti destructio facta sit omnis peccati,
attamen oblationis illius virtutem oportet
applicari singulis, quod cum non praestet
sacrificium crucis ex se (alioquin nemo
damnaretur) idcirco ex infinita sapientia
& amore instituit Christus hoc SS. Sacri-
ficiu, ut esset causa particularis applicans
virtutem cruenti sacrificij, ideoque quoti-
die ad finem usque mundi offerretur. Pau-
lus ergo ait, Christum se amplius non of-
fere, id est, modo cruento, quod nec opus,
ne aliàs iterum tolerandum foret.

Quarta

Quarta probatio claret ex varijs antiquitatibus. v. g. ipforum Hæreticorum antiquioribus Templis, in quibus paffim videntur loca deſtructorum Altarium, repositoria ſanctiſſimi Sacramenti in lateribus murorum, vulgò Sacrament-Häuſſli: videntur & antiquiſſima ſacrificij vaſa, Calices, Caſulæ, &c.

Quinta denique probatio patet ex authenticis Miraculis, de quibus *inf. in Hiſt.*

Quæſtio Tertia: Quando inſtituta eſt Miſſa?

R. A Chriſto Domino in ultima Cœna.

Tunc enim confeſcrando panem in Corpus ſuum ſimul illud obrulit æterno Patri, & ſacrificavit, Apoſtoliſque, ut idem facerent præcepit. Unde Cat. Rom. q. 72. & Trid. ſeſſ. 22. can. 1. Quo etiam tempore hæc ipſa ſacra Myſteria Apoſtoliſ commendans: Hoc facite in meam commemorationem, eos tunc Sacerdotes inſtituit, præcepitque, ut qui eis in Sacerdotali munere ſucceſſuri eſſent, Corpus ejus immolarent, & offerrent.

Quis ergo primus Miſſam legit?

Chriſtus Jeſus in ultima, ut dixi, Cœna.

Quæſtio Quarta: Quo ſine à Chriſto inſtituta eſt Miſſa?

Quartò ex antiquitatibus.

Quintò ex miraculis.

Q. III. Quando inſtituta eſt Miſſa?

In ultima Cœna, &c.

Quis primus Miſſam legit?

Q. IV. Quo ſine inſtituta eſt

R. Impri-

In me-
mori-
am
mortis
Christi
in cru-
ce, &c.

Q. v.
Quodnam
est discrimen in-
ter sacri-
ficium
Missæ &
sacrifici-
cium
Crucis?

Quia in
Cruce
prius
offereba-
tur cru-
entè &
dolorosè,
in Missa
verò in-
cruentè &
absque
dolo-
re, &c.

R. Imprimis in memoriam mortis sue in Cruce: deinde, ut per illam debitum Deo cultum & gratiarum actionem exhiberemus: denique ut pro peccatis quotidianus satisfaceremus, aliâque innumera beneficia consequeremur. Cat. Rom. q. 53. de quibus Cat. seq.

Quæstio Quinta: Quodnam est discrimen inter sacrificium, quo Christus offertur in Missa, & sacrificium, quo offerebatur in Cruce?

R. Nullum esse discrimen, nisi quod in Cruce oblatu fuerit cruentè cum multa sanguinis effusione & dolorosè; in Missa verò incruentè & absque dolore, sub speciebus panis & vini.

Ergo reipsa, inter utrûmque sacrificium nulla est diversitas, idem enim hîc offerens, qui ibi: idem, quod offertur: iidem, pro quibus offertur; solûmque discrimen in offerendi modo. Unde Trid. sess. 13. c. 5. Una, eadêmque est Hostia, idem nunc offerens ministerio Sacerdotum, qui seipsum tunc in Cruce occulit, solâ offerendi ratione diversâ; quam diversitatem potestè insinuat sess. 22. cap. 2. In hoc Divino sacrificio incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obrulit. Insuper omnes Missæ actiones, nil nisi Passionem & Crucem Christi, id est, sacrificium cruentum repræsentant; hoc ipsum enim tam variæ & diversi coloris vestes indicant, velut amictus, alba, cingulum, stola,

stola, manipulus, casula, cui columna & Crux inserta, &c. hoc ipsum altare, cui Crux imposita, purificatoria, Corporalia Cruce notata; hoc ipsum tam multiplices Sacerdotis modò expansis, modò junctis manibus, modò oculis sublevatis, modò stando, modò flectendo orantis ritus exprimunt; de quo fusiùs *inf. de Mysteriorum Missæ.*

Quæstio Sexta: Cui licet offerre sacrosanctum Missæ Sacrificium?

R. Uni & soli Deo.

Ratio est, quia Deus hîc offertur, ergò soli Deo.

Annon licet etiam offerre Missam Sanctis?

Non licet, sed uni Deo; in memoriam tamen & honorem Sanctorum. *Cat. Rom. tit. q. 57.* Gralias agendo Deo per Missæ sacrificium, quod Sanctis v.g. Beatissimæ Virgini, S. Josepho, S. Angelo Custodi, tantam contulerit gratiam in terris, tantamque modò gloriam in Cœlis: Item unacum Sanguine & morte Christi offerendo & præsentando Deo virtutes, vulnera, sanguinem, mortes Sanctorum; vult enim Deus non solum mortem unigeniti sui repræsentari sibi, sed mortes quoque & Passiones Martyrum, qui Christum imitati sunt, vitamque pro Dei gloria

Q. VI.
Cui licet offerre Missæ sacrificium?

vni & soli Deo;

Annon licet offerre Missam Sanctis?

ria possuerunt. Unde *Psal. 115. v. 15.* Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus; quod ipsum immenso esse honori & gloriæ Sanctis evidenter patet, in Missa vid. eorum merita unacum meritis Christi solemniter offerri Deo; nec etiam obest gloriæ Christi, quia pugnare, meruere meritis & virtute Christi, vivere in Sanguine Agni. *Apoc. 21. v. 14.*

An prohibitum
maſtare
Deo bo-
ves? &c.

An prohibitum maſtare & ſacrificare Deo boves, oves, ut in teſtamento veteri?

Maximè, ex præcepto Eccleſiæ; quia illa fuerunt figura ſacrificij in Cruce, completo autem ſacrificio meritò ceſſant figuræ.

An prohibitum
offerre
ceram, &c.

An æquè prohibitum offerre ceram, linum, ova, gallinas?

Minimè; non enim hæc & huiusmodi offerruntur à perſona ad ſacrificandum deputata, ſed à perſonis privatis, nec ut ſacrificia, ſed ut devota donaria, quibus cupiant fieri participes Miſſæ & interceſſionis Sanctorum.

RECAPITULATIO.

Hæc de eſſentia & veritate Miſſæ ſumma eſt. (1.) Miſſa eſt ſacrificium, in quo offertur Corpus & Sanguis Chriſti, &c. Dicitur Miſſa ſpontanea oblatio, ſeu potius à miſſione Hoſtiæ ad Deum, &c.

Est

Est veri nominis Sacrificium. (2.) Ejus veritas probatur, &c. (3.) Instituta est in ultima Coena. (4.) In memoriam mortis suæ, &c. (5.) Non est discrimen inter sacrificium Crucis & Missæ, nisi in offerendi modo. (6.) Hoc etiam soli Deo offerre licet, nec ulli Sanctorum: non licet mactare & sacrificare oves & boves, &c. licet tamen offerre ceram, linum, &c. ut donaria.

EXHORTATIO.

Discimus hîc Charissimi primò, firmâ fide credere; Missam esse verum Sacrificium, atque in eo offerri, ipsum Corpus & Sanguinem Christi; ita ut quoties sacram Hostiam elevari videmus, confidenter dicamus: salve millies mi bone Jesu, tu es Christus Filius Dei vivi, qui te in ara Crucis ineffabili amore & dolore pro me obtulisti, & tribus horis integris in eadem pependisti, spiritum quôq; tradidisti, &c. Adoro te, laudo te, miserere animæ meæ, Ne gent, exsibilent, blasphement te Hæretici, ego rursus, iterumque profiteor, Tu, Tu es Christus Filius Dei vivi, tibi omnis laus, honor & gloria à me & omni creatura, hîc & ubique, nunc & in æternum, &c.

Discimus
i. Missam, verè sacrificiū Corporis Christi, &c.

Disci-

2. Confi-
derare fi-
nes ob-
quos in-
stitutum
est.

Discimus secundò; considerare præcla-
ros fines, ob quos Christus Eucharistiam,
non Sacramentum tantum, sed & sacrifi-
cium esse voluit, quorum primum est, ut
per illud perpetuò meminerimus sacrificij
cruenti, amarissimæ passionis & mortis
sue in Cruce, imò totius vitæ, omnium-
que laborum suorum.

3. Missas
offerre ad
honorem
Sancto-
rum.

Discimus terriò, Missas devorè Deo
offerre ad honorem Sanctorum, quorum
dies aut patrocinium agitur, aut quorum
speciale auxilium desideratur; cum enim
specialis honor per Missam obveniat san-
ctis, specialiter quòque pro nobis interce-
dent, efficiëntque sacrificium nobis appli-
cari efficacius.

HÆRETICI.

Lutherus,
Calvi-
nus, &c.
negant
dari am-
plius sa-
crificium.

Sacrificium verum in Ecclesia dari negant
Lutherus *de captiv. Babyl.* Calvinus &
alii; sed dari suprà probatum est.

Obiectio.

Obijc. Solus Christus est Sacerdos, qui
salvare ad perpetuum potest. *Heb. 9. v. 26.*

Obiectio.

R. Potest, sed non vult, nisi per media
à se instituta, inter quæ est sacrificium.

Obiectio.

Obijc. Semel oblarus est ad exhaurienda
multorum peccata. *cap. cit. v. 28.*

R. Sacrificium Crucis sufficit nobis ad
finem, ad quem oblatum est, nempe ad
promerendam salutem omnium in com-
muni.

muni ; néque enim ad hoc aliâ morte Christi néque alio Christo opus est ; sed ut in nobis sit etiam efficax , opus est medijs , quibus vim illius sacrificij nobis applicemus : media præcipua sunt sanctissima Sacramenta & sacrificium Missæ.

Objc. Unâ nos oblatione consumma- **Obiectio**
vit. *Heb. 10. v. 14.*

R. Uti prius , Apostolum hoc tantum urgere , unicum Crucis sacrificium nobis sufficere , néque alio simili opus esse ; non tamen negat opus esse applicatione per Sacramenta & per sacrificium Missæ incruentum.

Christum seipsum in ultima cæna obrulisse , negant iidem. Sed contrarium probatum supra.

Objc. Si tunc Christus seipsum obrulit **Obiectio**
incruente , non fuit opus , ut postridiè seipsum offerret cruentè.

R. Non sequi ; quia Christus non voluit per illum , sed per hoc consummare Redemptionem.

HISTORIÆ.

DUM Missæ sacrificium offert S. Martinus , globus igneus apparuit super caput ejus. *Brev. Rom. in Festo, respons. 3.* **Veritas Missæ probatur ex vita S. Martini.**
Imminente die resolutionis S. Monica (ait S. Aug. l. 9. c. 11. Conf.) non cogitavit Corpus suum sumptuose contegi , non **Et S. Monica.**
ista

ista mandavit nobis , sed tantummodò memoriam ad altare tuum fieri desideravit, & paulò post. Inspira Domine Deus meus, inspira servis suis , ut quotquot hæc legerint , meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ (Matris meæ) cum Patritio quondam conjugē. *Aug. cit.*

Pastores
Missam
iridentes
puniri-
tur.

Pastores quidam fallendi temporis causâ simul in saxo confidentes Missæ actiones imitabantur , & dum verba consecrationis protulissent ; ignis de Cœlo delapsus omnes concremavit. *Sophr. in prat. Spirit. c. 196.*

Et pueri
quidam.

Idem accidisse alijs quòque Pueris refert Pinellus , de Missa l. 2. c. 2.

Es Calvi-
nistæ
Hollandi.

Gaudæ in Urbe Hollandiæ, anno. 1574. ægrotantem Catholicum hortabantur quidam Calvinistæ per ludibrium , ut ante mortem Missam audiret , sic enim foeliciùs moriturum . & ne illi facultas deesset , se eadem exhibituros : nec mora , paratur mensa , profertur Casula , à Catholicis furtim sublata , eaque induitur quidam , cui nomen Hermannus Aldareich ; fit Missa , non sine scommatibus : Ubi ad agnus DEI perventum , adest famulus Hermannii , nuntians uxorem ipsius à partûs doloribus invasam , citò domum festinaret , quod & illicò abjecto sacro habitu fecit. In via au-

dit

dit uxorem genuisse gemellos, sed mox extinctos, domum verò intrans uxorem cum morte conflitantem & miserè morientem videt. Ipse postridiè peste corruptus mox decessit, omnes etiam, qui ejusdem Sacramenti participes erant, eâdem die miserandâ morte obierunt. *Bredenb. l. 1. c. 64. in collat.*

Petrus Sauedra S. Didaco devotus, singulis diebus in sacello ipsi dicato sacrum audiens, quoties divina Hostia attollebatur, audiebat sacrum cadaver intra loculum commoveri, tanquam ad præsentem Dominum adorandum assurgeret, simulque suavissimum odorem efflari sentiebat. *Sacculus in Borgia. l. 8. n. 254.*

S. Samsoni Episcopo Angeli ministrabant. *Prat. spir. c. 127.* Item B. Joanni de Parma. *Chron. Francisc. t. 2. l. 2. c. 57.* Item sæpius S. Johanni Chrysostomo, teste S. Nilo. *Ep. ad Anastasium, & Baron. t. 5.* Plura Miracula vide *Cat. seq.*

Beatus Odo in Brabantia vidit duos Angelos Sacerdoti adstare, ejusque manus & brachia sacram Hostiam tractantia quasi adjuvare, mox manicas, ne eam contingerent, cohibere, deinde complicatis manibus adorare. *Sur. in vita.*

Missæ veritatem validè quòque probat insignis pietas & summa reverentia Imperum, &c.

S. Didacus post mortem Eucharistiam sub Missa reveretur.

Angeli in Missa ministrabant S. Samsoni, B. Joanni. S. Chrysostomo.

Et alij Sacerdoti.

Missam etià probat reverentia S. Ludovici & aliorum, &c.

Imperatorum, Regum Principumque
erga illam, &c. v. g. S. Ludovici, S. Hen-
rici, S. Elzearii, S. Elisabethæ, S. Hedvvi-
gis, &c.

S. Stepha-
ni Sanguis
sub Missa
ebullit.

Testatur Bozius *l. 5. de sig. Eccl.* Sangui-
nem S. Januarij Neapoli allervatum, du-
rum & concretum, quoties super altare
ponitur, dum Missa celebratur, lique-
re, bullire, & quasi gestire cunctis aspi-
cientibus incipit. Maximus ergo honor
per Missam obvenit sanctis, & nobis
sacrificium eorum patrocinio redditur ef-
ficacius; petimus enim, ut pro nobis
intercedere dignentur in cœlis, quorum
tam sanctam & gloriosam memoriam
agamus in terris.

Pro felici
agone
audienda
Missæ ad
honorem
sancto-
rum.

Ad S. Mechtildem dixerat quandô-
que Christus, ut qui morienti sibi multos
optet adesse sanctos, qui eum consolentur,
& ad thronum Dei deducant, &c. is
sæpius cum devotione adsit Missæ ad
honorem vid. Sanctorum; taliter enim
hoc beneficium promereri. *Prat.*

spir. l. 3. c. 117.

